

sessores et Notarius dictae Tabulae clementer etiam per Majestatem nostram constitui et denominari queant, apta et idonea eatenus Subjecta Nobis demisse proponere, una etiam in eo, quidnam uni et alteri eorundem titulo Annui Salarii ordinandum existimarent, demissam Opinionem suam quantocyus submittere noverint et non intermittant. Gratia in reliquo nostra Caesareo-Regia Eisdem Fidelitatibus Vestris benigne propensi manentes. Datum in Castro nostro Laxemburg, die septima Mensis Junij, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Vigesimo quinto.

Carolus m. p.

Emericus Esterhazy m. p.

Episcopus Vesprimiensis.

Josephus Koller m. p.

A tergo:

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs & Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae Universis Statibus & Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Varasdini Ex Officio.

(L S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1725 Nr. 10.

CCXLII.

Anno 1736. die 29. Novembris Viennae.

Carolus III. Rex SS. et OO. Croatiae et Slavoniae conservationem jurium et libertatum pollicetur.

CAROLVS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Demisse relata sunt Nobis ea, quae Fidelitates Vestrae occasione nuper interventae a Consilio nostro Aulae Bellico ad Comitem Banum circa concreditum Principi ab